



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio I. De Volitione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

Quod autem illi interveniat discursus virtualis Ratio, quia ille stat cum unitate notitiæ, modò noscatur causa per effectum, effectus per causam: quod sæpè contingit Angelis.

Ex hac occasione inquiri solet: An abstractivè noscant Angeli? Si per abstractivè noscere intelligatur noscere per species alienas v. g. Angelum per speciem faciei alatræ, sic non noscit Angelus: est enim hæc manifesta falsitas, ludens imaginis. Si autem abstractivè noscere est noscere per rationes communes germanum illarum conceptum formando; sic noscent abstractivè: cum hic modus etiam noscendi importet quiddam dignum Angelo, ut noscat rem eo modo, quo noscibilis est, cum fundamento in re.

Sed hic solvendum restat & explicandum, quomodo tunc Angelus non nosceret confusè?

Triplex confusa notitia cogitari potest. I. Quando ratio communis præcisa à differentiis cognoscitur præcissione objectivâ; quæ notitia hoc sensu potest appellari confusa; quia per illam non attinguntur clarè res; quia cum illa ratio communis in re nihil aliud sit, quàm ipsa singularia, quæ tamen non attinguntur, fit ut illa notitia dicatur confusa. Hæc notitia in duobus casibus non posset tribui Angelis, ex dictis rationibus. In primis, si ipsa ratio communis, per species alienas nosceretur. Deinde si non conjungeretur actuali notitiæ, etiam indivi-

II. Est notitia confusa, in qua attingitur clarè una formalitas & confusè alia; vi cuius scilicet ita se habeat notitia, sicut se habet dum concipit decem, vel ita sicut se haberet oculus ad videndum Petrum, & parietem penetratum. Hæc confusio est rejecta in Philosophia, adeoque nullo modo etiam Angelo concessibilis. Et certè hæc sententia admittit contradictoria in creatis h. e. nosci clarè, & non nosci clarè sed confusè, propter quæ tamen evitanda negat præcisiones objectivas. Deinde quí potest dici me confusè attingere aliquid, quod æque mihi non repræsentatur, ac non repræsentatur, simpliciter non cognitum.

III. Notitia confusa est ita explicabilis, ut denominatum hoc ab intellectu, quod est animal ut sic, ita concipiatur, ut in illo non respondeat denominatum ab intellectu rationale ut sic: Licet animal illud comparatum ad statum realem, sit cognitum animal, quod est rationale. Hæc sententia voce sola differt à prima. Nam etiam nos dicimus, quod præcisiones objectivæ rationum communium, non dentur nisi pro statu intentionali, & quod hoc objectum, quod est animal pro statu non nisi intentionali non repræsentet rationale, licet pro statu reali & phylico, illud animal, sit rationale, de quo pluribus locis alibi significatum. Hæc notitia confusa potest tribui Angelis; est enim eadem cum prima.

DISPUTATIO III.

De reliquis Actionibus Angelicis.

De tribus præcipuè Actionibus hæc agitur, de Volitione, Locutione, Motu Angelico.

QUESTIO I.

De Volitione.

Quod detur in Angelis voluntas, fundatur in illo principio; quia omne cognoscitur saltem de facto, habet appetitum sibi proportionatum; hic autem, est voluntas. An volitiva illorum sit identificata substantiæ, pendet ex Animasticis. Quod Volitiones sint distinctæ realiter in illis; petitur ex impossibilitate substantiæ creatæ, cui sint sui motus identificati, vel saltem ex perfectione talis substantiæ, de qua in Angelo non constat. Habere illos voluntatem liberam certum est ex Fide; nam aliqui peccarunt, aliqui non, sed meriti sunt; hæc

autem arguunt libertatem. Et cum nullum bonum creatum sit, summè bonum, cumque non competat illis intuitiva summi boni notitia, fit, ut liberè & Deum & creaturam ament. Hinc quia naturalis cognitio quam habent de Deo, est adhuc abstractiva, fit, ut non necessitentur ad amandum illum amore naturali. Hic tamen Amor in Beatis, est juxta naturalem inclinationem; habent enim dictamen practicum, quod honestissimum bonum, sit maximè amandum. Unde amore appetitativo etiam naturali magis Deum amant quàm se: quod etiam docet S. Thomas hic q. 60. a. 5. fundarique potest ulterius in hoc; quia quod est alterius secundum naturam, si cætera sint paria naturæ instinctu, principalius fertur in id cuius est, quàm in seipsum, & ita manus opponit sese ictui, pro conservatione totius. Fortè tamen intenta conditione naturali, intensius seipsum amant. Ratio; quia

quia bonum proprium præcipue intuitivè cognitum vehementius & intensius movet, quàm bonum per abstractionem cognitum.

Duo hic de volitione Angelica specialius discutienda sunt. In primis: An potuerint peccare eodem instanti quo creati sunt? Secundò: An, & quid sit inflexibilitas voluntatis Angelicæ.

DICENDUM EST I. *Angelos potuisse habere actum volitionis peccaminosæ, in eodem instanti quo creati sunt*: est sententia communior contra Thomistas.

PROBATUR. Tum, quia id non implicat Contradictionem. Tum, quia pro illo instanti habuerunt voluntatem; Ergo poterant habere ejusdem & usum, si autem usum, cur non & ab usum? Tum, quia nulla est necessitas, præcedentiæ boni actus, præ malo; & ex altera parte, eodem instanti possunt elici actus intellectus, & simul volitio. Ergo:

OBJICITUR I. Conditio ipsius operationis exigit, ne Angelus possit peccare primo instanti, quod ipsum probatur. Tum, quia operatio libera, non potest simul cum naturali incipere, utpote indigens deliberatione, neque applicatio voluntatis, potest esse in eodem instanti. Tum, quia pro illo instanti occupabantur Angelii iudicio practico de his, quæ tenebantur facere. Ergo non poterant contra tale iudicium peccare. Tum quia, ut possit committi peccatum, requiritur iudicium de bonitate & malitia morali objecti, hoc autem iudicium, requirit notitiam bonorum physicorum & moralium, requiritur item ut malum sub ratione boni præsentetur, quæ omnia indigent plus, quàm uno instanti.

RESPONDETUR. Hæc omnia bene posse perfici uno eodemque instanti, præcipue supposito, quòd habeat sphaeram noscibilitatis, non alligatam uni objecto. Et si potest simul exerceri visio, quæ est necessaria, & amor visi, cur multò magis id non reperietur in Angelis? Quod autem adfertur de iudicio practico vel significatur, quòd illud iudicium non nisi unam partem proponat, hoc est bonum, cum tali iudicio concedo non posse peccari, sed nego pro primo instanti fuisse non nisi tale iudicium. Si autem per iudicium practicum, intelligatur, iudicium directivum operationis, concedo illud fuisse pro primo instanti; sed quæro, cur pro eodè non potuerit subnecti etiam operatio mala?

OBJICIT 2. Malonius apud Suarez. Si Angelus eo instanti peccaret, Deus esset causa illius peccati; quod ipsum probatur: quia essentialiter ante actum secundum peccati, debet præcedere actus primus etiam malus: non enim malum, nisi à malo provenire potest. Ergo tribueretur Deo peccatum, ratione illius actus primi mali.

RESPONDETUR. Negando Antec. Actus

secundus malus, non debet proficisci ab actu primo formaliter malo, sed ab actu primo, qui sit potentia productiva indifferens ad bonum & malum. Addit Arriaga quòd hoc Argumentum probet nec in sequenti instanti posse peccare Angelum; Nam illum actum secundum debet præcedere actus primus, qui non potest haberi à Deo, qui tam in primo quàm in secundo instanti, non potest esse causa mali: à seipsa etiam voluntas non posset habere illum actum primum; quia deberet præsupponi mala ad illum habendum, & sic in infinitum.

INSTAT I. Illud peccatum tribueretur specialiter Deo: quia effectus qui ponuntur in primo instanti productionis, tribuuntur causæ, juxta illud, qui dat esse dat consequentia ad esse.

RESPONDETUR. Axioma illud verum esse non nisi de physica, vel metaphysica emanatione proprietatum, non autem de motibus liberis, & quamvis effectus primum in lucem editus, tribuatur efficienti: quia nihil seipsum producit: non est tamen necesse, ut motus liberi ipsius effectus, tribuantur efficienti.

INSTAT 2. Granadus apud Arriaga. In rebus humanis auctor alicujus rei artificiosæ, dicitur per se primam illius operationem: sic horologiopægius solet illud primum in suo loco constituisse & experiri cursum; priusque probatur attemperatus calamus, & Professor assistit dum primum examinatur discipulus.

RESPONDETUR. Negando Conseq. Disparitas, quia horologium & calamus habent statam & mortuo quodam modo suam perfectionem, hinc defectus perfectionis artificis tribui debet, quod in præsentem non contingit: quia ille defectus bene referri poterit in ipsam libertatem creaturæ. Assistentia Professoralis, est non nisi consuetudinaria, ad quam non ligatur Deus.

OBJICITUR 3. Si in primo instanti posset peccare Angelus, moraliter loquendo peccasset aliquis, & tamen non peccavit. Ergo nec peccare potuit.

RESPONDETUR. Ne peccarent gratia fecit: Jam autem à negatione actus, non tenet Conseq. ad negationem potentia.

OBJICITUR 4. Pro illo primo instanti habuerunt gratiam. Ergo pro illo primo instanti non potuerunt peccare.

RESPONDETUR. Saltem potuissent peccare, casu, quo non habuissent gratiam justificantem. Sed illa etiam posita, Nunquid de potentia absoluta non potuissent simul stare peccatum & gratia. Saltem ergo argum. probat ex accidenti non potuisse peccare: quia pro illo instanti habuerunt gratiam, sed non sequitur ex natura rei, & spectando ipsam conditionem voluntatis, quod ad malum se movere non potuerint.

OBJICIT 5. Joannes à S. Thom. d. 23. art. 2. n. 12. Angelus & quæcunque creatura intellectu-

actualis, in suo primo actu non potest se movere, nec à se accipere & formare dictamen, sed à principio exteriori. Ergo nisi tale principium movens & dans illi dictamen, sit defectuosum, non poterit defectuosum dictamine non potest voluntas defectuosum dictamine non potest voluntas aliquam peccare, quia semper vult ex motu & directione intellectus: Non potest autem dici, quod æqualiter proponatur utrumque, & voluntas pro sua parte alterum eligat nullo defectu stante ex parte dictaminis: quia si unum ex illis objectis malum est, non potest acceptari à voluntate, nisi quia convenientia ejus sibi manifestetur, & non reputetur, ut multum inconveniens. Antecedens principale probat ex S. Thom. prima secundæ q. 9. a. 4. fundamento defectu pro ab Aristotele, qui censuit voluntatem in primo motu, debere operari ex instinctu exteriori: Ex quo sic arguitur. Omne movens est in actu, & omne mobile in potentia, & sic movens ut movens, reducit mobile de potentia in actum, nulla autem potentia reducit ad actum per potentiam, sed per actum: Ergo ut voluntas se moveat, debet supponi in actu, & non solum in potentia. Ergo cum procedit in primum actum, ad illud non potuit se movere: quia non fuit alius actus prior, per quem moveretur ad istum. Consequenter princip. probatur. Quia si dictamen defectuosum est, ab agente defectuoso provenire debet, & cum in illo primo actu moveatur à suo generante, quod est Deus, qui solus potest in seipsum illabi: Ergo solus ille potest illud dictamen operari: Deus autem est agens in seipsum inflexibile.

RESPONDETUR. Conforme esse rationi, ut prima cogitatio, veniat ab exteriori non quidem elicitive, sed determinative ut hoc potius præ illo noscatur. Hoc tamen potest haberi, etiam ab occurrentia objectorum, quæ occurrentia respectu nostri casualis est, non autem respectu ordinantis Dei, hoc autem dictamine posito, in eodem instanti, posset adhuc creatura dictamen aliquod pravum facere, & subungere pro eodem instanti actum malum. Deinde etiam non formato ullo alio dictamine pravo, potest voluntas alterutram partem sequi, quod dictamen non repræsentat malum ut malum, sed repræsentat indifferenter, ita ut relinquat locum bono & malo actui pro eodem instanti; quodque ad illud dictamen indifferenter proponens objectum non possit subnecti actus malus, non evincit objecto, dictamen autem indifferens possit à Deo poni.

INSTAT Idem. Non sufficit recurrere ad objectum indifferenter propositum: quia circa tale objectum adhuc potentia est indifferens ut velit, vel nolit: Ergo solum objectum, non est sufficiens actualitas, ut potentia ita se moveat, cum potius objectum indifferens, habeat se ut materia circa quam; hinc desiderabitur semper actualitas alia.

RESPONDETUR. Hanc Instantiam invenire prædeterminationem, aliàs refutatam; imò invenit eandem etiam in intellectum, quia intellectus ut intelligat vel non intelligat, id obiectum indifferens est. Directè autem ad Argumentum

RESPONDETUR. Ut scilicet tollatur indifferentia ad volendum vel non volendum, sicut & ad intelligendum vel non intelligendum, sufficiat determinatio oriunda ex vi ipsius actus qui elicitur, determinatione inclusa in ipso exercitio, non verò orta ex aliquo antecedente. Unde illa propositio, nulla potentia reducit ad actum per potentiam, hoc sensu est vera, nulla potentia existendi physica, reducit ad actum existendi, per potentiam, nulla item potentia manens in esse potentie, reducit ad actum; potest tamen potentia non manens in esse potentie, sed in exercitio potentie, reducere se ad actum, potest item potentia posita in actu existentie, & cum prærequisitis suis, reducere se ad actum; hæc autem prærequisita sunt decretum concurrenti ad utrumlibet, propositio objecti, oblatus concursus &c.

DICENDUM 2. Non habere Angelos inflexibilem voluntatem, est contra Thomistas communior, & contra Granadum tr. 14. d. 2. Volunt autem Thomistæ hoc, quod si Angelus semel aliquid amarit, non possit jam retractare voluntatem, odisseque illud, quod non ita se habere.

PROBATUR 1. Auctoritate PP. Aug. L. 12. de Civit. c. 9. L. de Correct. & gratia c. 11. & Damasc. L. 2. de Fide orth. c. 3. aliorumque quos vide apud Martinon disp. 41. S. 1.

PROBATUR 2. Quia Angeli sunt liberi, ergo indifferentes ad volendum vel nolendum, ergo mutabilis & flexibilis voluntatis. Et certè si sunt inflexibilis voluntatis, vel idè id est: quia actibus variis moveri non possunt, & hoc est falsum: Nam non sunt actus puri volendi. Vel idè id est fit, quia non habent potentiam flexibilitatis, & hoc dici non potest; quia habendo libertatem habent indifferentiam adeoque flexibilitatem.

PROBATUR 3. Angeli primo instanti operati sunt per Theologos liberè aliquid boni, saltemque habuerunt actum naturalem amoris Divini, & tamen postea cum peccarunt, illum non habuerunt. Ergo apparet illos flexibilem voluntatem habere.

OBJICITUR 1. In oppositum esse Auctoritates PP.

RESPONDETUR. Illorum aliquos negare non nisi penitentiam Angelis, idque vel ex eo capite, quod corpus non habeant, accipiendo penitentiam, pro afflictione corporis, usitata penitentibus: Sicque est intelligendus Damasc. Alii non plus volunt quàm quod peccatum illorum fuerit, sicut mors corporis, quod inflexibile est post mortem;tribuendo illis inflexibilitatem

P.
MLOD
OWSKI
d. e. Z.
VI

litem ob negationem auxilii poenitendi: Sicque intelligendus est Bern. Serm. 22. in Cantica. S. Thomas hic q. 64. art. 2. Angelorum inflexibilitatem in hoc refert quia supposito quod Deum videant, inflexibiles sunt ad malum, & supposita damnatione malorum, jam illis naturalis est inflexibilitas. Vel certè hoc solum vult S. Thomas, quod Angeli dum aliquid ita noscunt, ut ab illa noticia non moveantur, nec ad aliud, illam transferant, non possunt nisi in oppositum, cum sua voluntate: quæ utpote cæca, non potest ferri incognitum. Talis autem inflexibilitas convenit quidem etiam hominibus, sed ordinariè illis non contingit, propter mobilitatem phantasie & specierum.

Objicit 2. Granado Congruentias.

1. CONGRUENTIA. Quod aliquis sapientior est, melius facienda considerat, difficiliusque propositum mutat. Angeli autem sunt sapientissimi.

RESPONDETUR. Possè contingere ut iudicium prudens dicere possit utramlibet partem æque eligibilem esse, hinc ne contra illud sapiens dictamen nitatur Angelus, flexibiliter utramque partem prosequi poterit. Rursus, nunquid sapientis non est mutare consilium, mutatis circumstantiis.

2. CONGRUENTIA. Quod maximo conatu apprehendimus, ab illo difficillimè movemur.

RESPONDETUR. Negando Angelum ad omnia summo conatu se applicare. Sed hoc etiam posito cur non cum tempore elanguesceret conatus? cumque id adhuc faciat liberè, hoc ipso faciet flexibiliter.

3. CONGRUENTIA. Superbi nimium adhaerent suæ sententiæ, ne agnoscant se malè egisse. Ergo idem conveniet superbiæ dæmonum.

RESPONDETUR. Saltem humiles Angeli, flexibiles erunt. Deinde quid si instinctus superbiæ vacet, neutraque parte inclinet? Denique contingere potest superbo, ut si non muret consilium, magis sit confundendus. Quamquam si res sit de sola difficultate morali mutandi consilii, ea bene concedi potest Angelis.

Objicitur 3. Angelum non posse cessare ab intentione ultimi finis; Ergo adhæret immobiliter mediis. Ergo habet inflexibilem voluntatem sive circa finem, sive circa media.

RESPONDETUR. Negando in primis malos Angelos, esse in perfecta intentione, etiam naturaliter spectati ultimi finis, propter disordinationem illorum. Boni supernaturaliter illi inhaerent, sed de illorum inflexibilitate supernaturali hic non agitur, si autem agatur de intentione naturali, quam habent Angeli circa ultimum finem; hæc illis negari potest, si involvat actualem semper cogitationem de Deo ex principiis naturalibus. Sed etiam hac intentione concessa non sequitur intentum. Ratio, quia

dixi in Ethicis, omni actione honesta versarios suo modo circa ultimum finem, neque tamen in nobis datur inflexibilitas voluntatis: non enim sunt necessitatis media. De his fusius vide Mart. d. 41. Arriaga d. 14.

INSTABIS. Exiis quæ adfert Joan. à S. Th. q. 64. d. 4. a. 2. Angelus utens ad aliquam determinationem principiis evidenter notis, ad omnia quæ per talia principia attingit, fertur unica & indivisibili tendentia, & tanta firmitate, atque attingit, ipsa principia: ita ut non possit ex talibus principiis, novas rationes elicere: quia comprehensive procedit, ex vi talium principiorum. Quod etiam fecit in peccando. Hoc argumentum pluribus inibi diducit.

RESPONDERI potest. Quamvis procedat Angelus comprehensive cognitis principiis, sitque immutabilis in cognitionis suæ assensibus circa talia objecta, inde tamen non sequitur quod sub tali noticia pro sua libertate, non possit subsumere alium actum voluntatis: præcipue cum etiam illa comprehensiva noticia, proponat adhuc indifferenter objectum, quia comprehendit motiva secundum illorum legitimam exigentiam, legitima autem illorum exigentia, non est determinativa voluntatis ad unam nisi partem.

QUÆSTIO II.

De Actione Angelica quæ est Locutio.

Quod locutio Angelica detur, probatur ex Scriptura, quæ frequenter locutionis illorum meminit, ut locuti secum Angelus Persarum cum Angelo Judæorum. Paulus etiam meminit linguæ Angelicæ. Quæ loca nihil vetat accipi prout sonant. Fundatur etiam in hoc dicta resolutio. Quia communicatio notitiæ & sensuum, est bonum cujusvisque notitivi, tribuendum ergo erit potiori jure, ipsis Angelis. Tota difficultas in hoc est, quomodo inter se colloquantur Angeli. Aliquos speciales modos examinabimus. Hos & alios plures videbis ap. Suar. l. 2. à c. 26. Vasq. d. 211. Arriaga d. 12. Mart. d. 39. à n. 6. Franc. Lugo. D. 40. Raynaud dist. 4. q. 1. a. 2.

DIFFICULTAS I.

An Locutio Angelica fiat per signa?

Non moror hic Explicationem eorum, qui censent Angelos secum loqui per signa quædam materialia, cujus sententiæ meminerunt Durandus & Hervæus, sed istud fictitium est: nec locutionem quæ est bonum naturæ intellectualis, proportionat ipsi naturæ intellectuali, cujus est bonum: sicut enim improporionatum est homini per signa spiritualia loqui vel corporalia, sed improporionato modo v. g. glorian-